

**DE**  
**EXEQUIIS.**

**TITULUS OCTAVUS.**

**SUMMARIUM.**

- 1 Ecclesia non obliviscitur filiorum suorum, neque post obitum.
- 2 Ritus exequiarum ab Apostolis instituti.
- 3 Sepultura vocatur Asylum mortis.
- 4 Sepulchrorum Violatores graviter puniuntur.
- 5 Exequiae unde dictae?
- 6 Variarum Authorum opiniones.
- 7 Caeremonie unde dictae? et de ejus Etymologia.
- 8 Opinio tutior Episcopi Sarnelli.
- 9 Jus celebrandi exequias non est Parochiale.
- 10 Obligatio sepeliendi suos Parochianos incumbit Parocho.
- 11 Ex privilegio conceditur etiam Regularibus.
- 12 Ab Administratione Sacramentorum dependet jus sepulturae.
- 13 Exequiae non nisi ubi sepelitur Cadaver, faciendae.
- 14 Haeredes non possunt cogi ad illas iterandas in aliis Ecclesiis.
- 15 Modestia, et devotio adhibenda in Sacris Ritibus.
- 16 Mors magis timetur ab Haeredibus ob expensas funerum.
- 17 Quaevis aviditas pro funere prohibita.
- 18 Pactio pro sepultura prohibita.
- 19 Spontaneae obligationes permittuntur.
- 20 Non est determinatum a jure tempus a morte ad sepulturam.
- 21 Standum est consuetudini loci, et Constitutionibus Synodalibus.
- 22 Aliqui assignant horas octo.
- 23 Alii statuunt horas sex.
- 24 In dubio an vere corpus sit mortuum; consule Medicum.
- 25 Morbi sunt, per quos quis videtur mortuus, et non est.
- 26 Exempla illorum qui mortui videbantur, et non erant.
- 27 Non credendum aliquibus signis, quae vitam demonstrant.
- 28 Ista signa sunt aequivoca.
- 29 Casus mortui desudantis.
- 30 Alii praescribunt horas viginti quatuor.
- 31 Mulieres puerperae non sepeliendae nisi post horas triginta.
- 32 Similiter ii qui repentina morte occidunt.
- 33 Humatio sollicitata est signum exigui amoris apud domesticos.
- 34 Cadavera si putrescunt, cito sepelienda.
- 35 Pariter cadavera illorum qui moriuntur morte violenta.
- 36 Corpus Christi antiquitus offerebatur pro mortuis.

- 37 Vetus Institutum Missae celebrandi pro Cadaveribus.
- 38 Missa, et Officium praesente corpore potest celebrari die Dominico.
- 39 Corpus Defuncti non debet sepeliri sine Missa.
- 40 Omni tempore, praesente Cadavere potest celebrari pro defuncto.
- 41 In parasceve Exequiae fieri non possunt.
- 42 Corpus Defuncti die Paschae servari debet ad sequentem diem.
- 43 In festo duplici non possunt celebrari Missae de Req.
- 44 Celebritas magna quatenus sit.
- 45 Missae de Req. tolerari possunt in festo duplici.
- 46 Musica instrumenta non adhibenda in Missis defunctorum.
- 47 Constitutio Benedicti XIII super hoc.
- 48 Missa Conventualis unde dicta?
- 49 Quid veniat nomine Divinorum Officiorum?
- 50 Pro Officio quando dari solet eleemosyna?
- 51 Anniversaria quid sint?
- 52 Taxae statutae pro sepeliendis Defunctis.
- 53 Quarta funeralis persolvenda.
- 54 Ante funus, et Exequias non paciscendum.
- 55 Corpora non spolianda Cereis ante funus.
- 56 Taxa statuta non est agenda.
- 57 Regulares uniformari debent Taxae Synodali.
- 58 Cadaver semper sub jurisdictione Ordinarii est.
- 59 Quidquid datur, est pro eleemosyna, non pro pretio.
- 60 Exequiae celebrandae juxta qualitates, et facultates defuncti.
- 61 Pallia et ornamenta Altarium non adhibenda in funeribus.
- 62 Quandoque in magnis funeribus adhibentur.
- 63 Honestus modus servandus in funeribus.
- 64 Cerei accensi adhibendi in funeribus.
- 65 Querimonia esse non debet de Taxa funerum.
- 66 Cura ponderis candelarum sit apud haeredes.
- 67 Aequalitas servanda in Candelis.
- 68 Cerei dividendi pro aequali portione.
- 69 Superiori non danda Candela duplicata.
- 70 Sumpus modici pro defuncto locuplete non tolerandi.
- 71 Indigne aliquid ne committatur in Exequiis.
- 72 Candelae eadem quae distribuuntur, accendendae.
- 73 Nulla pretii mentio facienda.
- 74 Qui Altari inservit, de Altari vivere debet.
- 75 Pauperes omnino gratis sepeliendi.
- 76 Parochi non debent esse iudices paupertatis.
- 77 Misericordiae opera elucere debent in Parochiis.
- 78 Qui denegaret sepulturam Pauperi, puniendus.
- 79 Et qui sine ritu sepeliret.
- 80 Cadaver debitoris an debeat teneri insepultum?
- 81 Sepultura Cadaverum nullo praetextu retardanda.
- 82 Libitinarii gratis debent sepelire Pauperes.
- 83 Sepelire defunctos reputatur eleemosyna.
- 84 Confraternitates hoc praestare debent.
- 85 Cadavera antiquitus non sepeliebantur in Civitatibus, neque in Ecclesiis.
- 86 Coemeteria erant extra Urbes.
- 87 Post datam pacem in Urbe constituta sunt.
- 88 Erant a Templis distincta Coemeteria.
- 89 Coemeterium unde dictum?
- 90 Opinio Authoris.
- 91 Antiqui sepeliebant in Coemeteriis tantum.
- 92 Quare prohibebantur Cadavera sepeliri in Ecclesia.
- 93 Munditia in Ecclesiis est curanda.
- 94 Concessum fuit Viris praestantibus sepeliri in Ecclesia.
- 95 Successivis temporibus facultas ampliata est pro adultis.
- 96 Ratio hujus permissionis.
- 97 Gentiles prope vias condebant sepulchra.

- 98 In Ecclesia permissum fuit sepelire omnia Cadavera  
 99 Crevit abusus, ut sepelirentur corpora prope Altaria.  
 100 Pius V. mandavit demoliri sepulchra existentia supra terram.  
 101 Constitutio S. Caroli super hoc.  
 102 Adhuc sepulchra alta videntur, non obstante constitutione.  
 103 Permittuntur sepulchra ad ornatum.  
 104 Sepulchra non construenda prope Altare.  
 105 Celebrari non debet Missa ad Altare ubi adest sepulchrum.  
 106 Distantia sepulchrorum ab Altaribus quanta esse debeat?  
 107 Tumulari sub Altari, est quaedam declaratio sanctitatis.  
 108 Pedale Altaris quid sit?  
 109 Sepulchra non construenda in Baptisteriis.  
 110 Sepulchra Clericorum, et Sacerdotum, a Laicis separata esse debent.  
 111 Ista regula in Coemeteriis non practicatur.  
 112 Sepulchra Virorum, et Mulierum separata esse debent.  
 113 Intellige de iis qui sepulturam non elegerunt.  
 114 In Avitis sepulchris non currit haec Regula.  
 115 Sepulchra Sacerdotum in nobiliori loco construuntur.  
 116 Sacerdotes et Clerici quomodo vestiendi, si moriantur.  
 117 Opiniones adsunt in contrarium.  
 118 Sepultura est pars officii.  
 119 Calix non alligandus in manibus Sacerdotis defuncti.  
 120 Graeci ungebant Cadavera Sacerdotum Oleo Sancto.  
 121 Vestes Ecclesiasticarum Porsonarum quales esse debeant?  
 122 Planeta albi coloris est ritus Ambrosiani in Defunctis.  
 123 Diaconus vestiendus Diaconali modo.  
 124 Subdiaconus Defunctus vestibus Subdiaconalibus induendus.  
 125 Utrique Manipulum tenere debent.  
 126 Clerici debent vestiri superpelliceo, et Biretto.  
 127 Capilli Clerici defuncti tondendi, si longi sint.  
 128 Cadaver in Ecclesia subiacet Jurisdictioni Ordinarii.  
 129 Cadaver sine licentia Ordinarii exhumari nequit.  
 130 Limitationes variae in hoc casu.  
 131 Translatione mortuorum violantur sepulchra.  
 132 De jure illicita est translatio cadaverum.  
 133 Gabella nulla debetur pro translatione Cadaverum.  
 134 Facultas exhumandi potest denegari.  
 135 Exhumatio potest fieri pro cadaveris recognitione.  
 136 Exhumatio recognitione corporis delicti quomodo facienda?  
 137 Facultas impetranda est a S. Congr. quando Cadaver est Personae Ecclesiasticae.  
 138 Episcopus potest denegare licentiam.  
 139 Regulares non possunt exhumare cadaver sine licentia.  
 140 De sepeliendo Cadavere per modum depositi.  
 141 Fieri debet authenticum Instrumentum super hoc.  
 142 Tunc prius debet dici Missa de Requie.  
 143 Cadaver Laici debet deferri a Laicis.  
 144 Sacerdotum cadavera a Clericis deferenda.  
 145 Qui sunt in eadem dignitate, solent elevare Cadaver.  
 146 Mulieres in Villis deferri solent a mulieribus.  
 147 Pedes defuncti laici debent esse versus altare.  
 148 Caput Sacerdotis debet stare versus Altare.  
 149 Quod fit in Exequiis, fit etiam in sepulchris.  
 150 Modus antiquorum in collocandis Cadaveribus.  
 151 Cadavera supina deponenda sunt.  
 152 Jus commune statuit sepulchrum cuique.  
 153 Caemeterium est Sacrum vi benedictionis.  
 154 Benedictio requiritur ad constituendum locum Sacrum.  
 155 In casu necessitatis potest quis sepeliri in loco non sacro.  
 156 Crux ad caput defuncti ponenda in Caemeteriis.  
 157 Crux in sepulchro non significat jurisdictionem.  
 158 Cruces in capsula Defuncti pinguntur.

- 159 Monogrammate littera X. quam P. quid significet?  
 160 Alio signo X. signabantur sepulchra.  
 161 Sepulchra Christianorum semper signata nota fidelitatis.

1 2 3 4 Neque post mortem, pia Mater Ecclesia obviscitur filiorum suorum, quos enutrivit, et exaltavit: Quapropter ritus, et caeremonias Sacras instituit, quibus, non tantum corpori, sed et Animae defuncti levamen adhiberetur. Nec nova institutio haec est, neque absque mysteriis suis: quippe vel ab ipsis Apostolis, vel a primis Patribus magna cum ratione isti Ritus instituti fuere, Sacerd. Brixin. *de exeq. c. 1. §. 1.* Asylum enim mortis sepultura a Tertuliano recte vocatur, adversus Donatistarum Asseclas scribente, qui sepulta Christianorum et etiam Regum corpora effoderunt. Et certe gravissimae pene in sepulchrorum violatores vel ab ipsis Ethnicis Imperatoribus olim statutae fuerunt. Pamelius *ad Tertul. Apolog.*

5 6 Exequiae itaque, sive Exequiae, a sequendo dictae sunt. More enim prisco, praecedebat funus, et sequebantur Homines, Terent. *Funus interim praecedit: nos sequimur.* Vel potius ab exequendo, quae Vox *Thuscul.* 1. pro funerare est usurpata, ut monet Turnebus *Advers.* 9. quanquam Fungario, *Lex Philol.* prius etymon perplaceat. Aliter definitur a *M. Martino:* Officium funebre, quum pompam funeris ex domo sequimur ad sepulturam; quae definitio magis cum rei natura concordare videtur.

§. I. Sacras Caeremonias, ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, et Summorum Pontificum institutis Sancta Mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tanquam vera Religionis mysteria, Christianaeque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio servare debent, atque usu retinere.

7 Saepius de Ceremoniis loquuti sumus prout res Sacrae, et Ecclesiasticae sunt; sed nunquam de etymologia, et origine hujus vocis verba fecimus. Ideo hic aliquid circa hoc mihi subdere visum est. S. Thomas *c. 2. q. 90.* allegatus a Sarnellio *T. 2. ep. 2.* ait: *Ordinatur Homo in Deum, non solum per interiores actus mentis (qui sunt, credere, sperare, et amare) sed etiam per quaedam exteriora opera, quibus homo Divinam servitutem profitetur; et ista opera dicuntur ad cultum Dei pertinere; qui quidem cultus, caeremonia vocatur, quasi munia,*

idest dona Cereris, quae dicebatur Dea frugum, eo quod primo ex frugibus, oblationes Deo offerebantur.

8 Allegatus doctissimus Sarnell. loco citato, opinionem suam affert satis laudabilem, et quae rationi magis consona videtur contra quoscumque Etymologistas ab eo citatos. Et est, quod vox *Caeremonia* ortum suum trahat a Graeca voce *Chae-re*, quae est saluatio aequivalens *Ave, Salve, etc.* et quia salutationes cum actu reverentiali semper fiunt, ideo isti actus *Caeremoniae* appellati sunt. Videant alii, ego hanc opinionem summopere approbo.

9 10 11 12 Quamvis jus celebrandi exequias pro defunctis post illorum tumulationem non comprehendatur inter jura Parochialia. ut colligitur ex *dec 552. part. 5. recent.* necnon ex generalibus decretis seu *Resolut S. C. R. in Urbis, et Orbis 19. Decembris 1693.* in quibus jura omnia Parochialia distincte numerantur, ut videre est apud Monacell. *Form. t. 2. tit. 13. form. 1. a. n. 46.* attamen obligatio sepeliendi suos Parochianos incumbit Parocho, et non alteri Sacerdoti, cujuscumque gradus sit, Machada *l. 4. p. 2. tr. 2. docum 24. n. 2.* Barbosa. *de Off. et pot. Par. p. 2. c. 22. num. 48.* Imo est constans conclusio, quod sepeliendi, et funerali facultas a jure competat illi soli. *C. super Cathedram, de sepult. in 6. c. dudum, de sep.* ex privilegio autem nonnullis Regularibus, *Ex const. 27. Leonis X. et in extrav. Benedict. IX. inter cunctas, de privil. et const. Sixti IV, Pii V. et Gregorii XIII.* quibus antea non erat permissum erigere Crucem in funeribus, quia non habebant jus funerali, *Prediera de fun. assoc. n. 37. et alii.* Sed de regula generali, ab administratione Sacramentorum dependet jus sepulturae, ut observant Gratian. *disc. 198. num. 79.* et alii apud Ursaya *T. 2. p. 2. d. 14. num. 23.*

13 14 Exequias vero non nisi in Ecclesiis, ubi sepeliuntur Cadavera, celebrari debere, nec posse cogi defunctorum haeredes ad illas iterandas in alia Ecclesia, resolvit *S. R. C. in una Ferrarien. 7. Septembris 1613.* quam referunt, et sequuntur adducti per Pignatell: *cons. 58 n. 5. tom. 5.* et Nicol. *in flosc. verb. Sepultura;* et novissime *S. C. Conc. in una Novarien, funerum 15. Martii 1704* allegat. ab Ursaya *T. 1. d. 28. n. 6.*

Per hoc quod non possint cogi haeredes Defuncti ad iterandas in alia Ecclesia, diversa a Parochiali, exequias; non videtur sublata difficultas orta nuper in quodam insigni Oppido, in quo celebratum fuit officium cum Missa pro defuncto, praesente corpore, in Ecclesia parochiali: quibus absolutis, cum defunctis jam elegerit sibi sepulturam in Ecclesia Regularium, translato cadavere ad illorum Ecclesiam ibi novum officium cum Missa celebratum fuit, deinde cadaver humatum. Ad hoc non fuerunt coacti Haeredes defuncti, immo sua sponte ipsi fuere,

qui hunc duplicem honorem, sive potius hoc duplex suffragium postulavere: cui se valide opposuit Parochus innixus rationi, et consuetudini, quod exequiae non nisi in Ecclesia, ubi sepeliri debet cadaver, persolvi debeant, Quare, ne retardaretur humatio Cadaveris, resolutio haec ex tempore, et per modum accordi capta fuit, nempe, ut in Ecclesia Parochiali, expleto Officio, et Missa, non fieret *Absolutio*, quae finis exequiarum est, sed ista haberetur in Ecclesia Regularium priusquam humaretur cadaver, soluta tamen consueta Quarta funerali ipsi Parocho. Ista extemporanea resolutio approbata postmodum fuit ab Ordinario loci, cum vere non expletae essent exequiae in prima Ecclesia, atque ideo iteratae, seu duplicatae eodem die dici non possent.

Quod summo studio servari debeant isti Ritus in exequiis, probatur per Pignatell. *T. 4. Cons. 229. n. 1.* Inter caeteros enim Christianos ritus, quos de Funeribus recenset Durand. *l. 1. cap. 23. a n. 10.* ex Sacra Scriptura, Conciliis, et Patribus, illi praecipui sunt, quod mortui sepeliantur, diligenter eorum exequiae orrentur, et peragantur; ex S. Clemente *ep. 1. ad Jacobum fratrem Domini;* ex Origene *l. 5. c. 8. contra Celsum;* ex S. Hieronymo *l. 1. ep. 25. ad Paulam;* ex S. August. *l. 1. de Civit. c. 13. et serm. 34. de verb. Apost.* ubi ait, mortuos sepeliendos pro cujusque viribus.

§. II. His itaque praestandis, qua par est, modestia, ac devotione ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non ad quaestum, ejusmodi ritus sancte instituti esse videantur.

15 Modestia, et devotio in quocumque Ecclesiae ritu adhibenda est, prout saepius in hoc opere diximus; decet enim res sanctas sancte tractari. Hic vero ubi de re tam tristi, et lugubri, sed etiam pia agitur, magis augenda est ista modestia, et devotio, duabus de causis, ut asserit textus; nempe quia de aeterna defunctorum salute agitur, atque de vivorum pietate, et exemplo.

16 17 18 19 Nihilominus quia quandoque humanus animus contra omnia Ecclesiae jura, et praeter intentionem tam Sacri Ritus, magis movetur a quaestu, quam a pietate, nasci solet, ut ab aliquibus magis timeatur mors conjuncti ob expensas funerum, quam ob amissionem personae; quod provide intelligens Sancta Mater Ecclesia, prohibuit in casu exequiarum

istam quaestus aviditatem, quae omnem fructum humanarum precum destruit, Pignatell. *T. 4. d. 229. per totum.* Certum enim est, quod Sancti Patres, et Canones, atque Concilia, nullo tempore passa sunt, quod Clerici, et Presbyteri administrent sepulturas cum aliqua pactione, vel coacta solutione: numquam vero vetuerunt ne spontaneas oblationes in hanc causam factas reciperent, Rot. *in Rom. funer 15. Junii 1699.* ram Molines *n. 12. 13. Monacell. Append. dec. 22.*

§. III. Nullum corpus sepeliatur, praesertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.

20 21 22 23 24 25 26 Hoc temporis spatium non esse in jure determinatum, notat, et advertit Mancin. *in fine operi suis:* sed dicit standum esse consuetudini locorum, seu Constitutionibus Dioecesanis; multas enim Synodos vidi, in hoc temporis spatio assignando discrepantes. In aliquibus locis assignantur horae octo, vel ad minus sex, antequam Cadaver Sepulturae tradatur. In duvio autem, an vere sit mortuus homo, consule Medicum: quod si sepeliendum judicaverit, sepeliatur, ita Possevin. *c. 14. n. 1.* Sunt enim aliqui morbi, ex quibus Infirmi videntur mortui, et vero non sunt: ut laborantes morbo apoplexiae, cordis passionibus, et hujusmodi, ut de aliquibus passim legitur, qui mortui existimabantur, et sic inter mortuos repositi, imo et perpetuae Sepulturae traditi, tamen subinde mortui minime erant. De quibus nonnulla exempla scitu digna leguntur *in Vita Ven. P. Camilli de Lellis, l. 2. c. 1.* et apud Musart. *Nan. Paroch. p. 2. c. 6. n. 4.* Necnon Pignatell. *T. 4. dec. 29.*

27 28 29 Nec minime credendum est aliquibus signis, per quae demonstratur Cadavera quandoque vivere: utpote sunt, sudor emanans e fronte, atque e toto corpore, calor diu in cadavere perdurans, color rubicundus, et vivax in facie. unguens, et pili crescentes, quia ista quoque sunt signa aequivoca, quae in Cadaveribus evenire solent, Egomet vidi cadaver mulieris per tres dies continuos sudans in Nosocomio Battutorum Alborum Ferrariae, adeo ut per totum triduum opus fuerit illud insepultum tenere, ut satisfaceret credulitate mulierularum adstantium, quae illud sepelire impediabant.

30 31 32 Synodus Ferrariensis sub Cardin. de Verme, *p. 2. c. 19.* praecipit, non elapsis a morte sepeliendi viginte quatuor horis, nullum cadaver humari debere: Mulieres vero in partu defunctas, non elapsis a morte earundem triginta

horis. Denique repentina morte surreptos, non elapsis a morte earundem triginta horis. Denique repentina morte surreptos, non elapsis a morte quadraginta horis: suspicandi enim defectus amoris erga defunctum videtur praebere argumentum, qui sollicitate curat separare se ab aspectu defuncti.

33 De cadaveribus humanis non tam festinanter sepeliendis nec exenterandis sive tam cito balsamatione muniendis, ob casus mirificos et inopinatos quos affert, extat memoriale ad Regem Gallorum Jacobi Joannis Bruhier edit. Parisiis anno 1746. et relat. in Diario Italico Literatorum *an. 1748. n. 15. fol. 119.*

34 Nihilominus datur quandoque casus, ut neque sex, neque octo, neque (quod plus est) viginti, aut quadraginta horae expectari possint: et tunc praecipue est quando Cadavera, vix Anima separata incipiunt putrescere, et foetorem gravissimum emittunt. Ista signa putrefactionis clare demonstrant Animam esse a corpore separatam; ideoque tuto, et sine aliquo metu possunt hujusmodi Cadavera sepeliri, etiam post horam: quod observatur communiter etiam in mortuis morte violenta.

35 Indubitatem annis elapsis a vivae vocis oraculo Eminen. et Reveren. Car Lambertini Bon. Archiepiscopi egomet audi vi nullum determinatum tempus stabiliri posse pro sepultura humanorum cadaverum. Certa regula tamen est, ex ejusdem vivae vobis oraculo putredinem, foetorem, corruptionemque cadaveris indubitatum mortis signum praemonstrare: atque ideo in hoc casu in offenso pede sepeliri possunt cadavera.

§. IV. Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterint, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur.

36 37 38 Sacrosantum Cristi Corpus, et Sanguinem pro mortuis offerri, Apostolorum temporibus solitum fuisse testantur Clemens Romanus S. Petri discipulus, *lib. Const. Apost. 6. c. 10. et l. 8. c. 4.* Dionysius Areopagita Discipulus S. Pauli, *Ecclesiast. Hierarch. l. 1. et 2. S. Cyprianus, l. 4. epist. 5.* et S. Joan. Chrysost. *in Ep. S. Pauli ad Phil. Hom. 3.* expresse affirmat, ita ab Apostolis sancitum fuisse, S. Ambros. *in epist. ad Bonifacium PP. S. August. in lib. Confess, et lib. de cura pro mortuis agenda, et lib. de Orig. Animarum contra Faustum Manichaeum.* Haec apud Sacerd. *Brixinen. d. §. 2.* Hoc totum dictum sit ad demonstrandum esse vetus institutum celebrandi Missas praesente corpore, circa quod Franc. Maria

Samuelli in ejus *Prae. contro.* 8. *concl.* 15. n. 27. ait, Mortuorum Officia, et Missas diebus Dominicis posse celebrari, et aliis diebus festivis pro defunctis, quorum corpora adhuc super terram sunt: minime vero si fuerint sepulta. *Ita S. R. C. in una Egitanen.* 4. *Maji.* 1603. et haec est praxis universalis.

§. V. Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis praesente corpore celebrari poterit; dum tamen Conventualis Missa, et Officia divina non impediuntur, magnaue diei celebritas non obstet.

39 40 41 42 Quae ad explicationem hujus paragraphi sufficiunt, videnda sunt apud Gavant. p. 1. variis capitibus; a quo Authore nonnulla desumere, quae ad nostram rem faciunt, mihi liceat; et primo. Non debere corpus defuncti sepeliri sine Missa, ut ait Durand, d. l. 7. Et omni tempore, cadavere praesente, posse celebrari pro defunctis, nisi in Parasceve, quo die Corpus Christi immolari non debet; et eo casu differendae sunt exequiae in crastinum; in quo post Missam Sabbati Sancti, poterat olim alia Missa celebrari pro defuncto; quod intellige juxta patrios mores Durandi, ubi nimirum viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa, et numquam sine ea, absque scandalo.

43 Siquis autem in die Paschae moriatur, corpus ejus servetur in sequentem diem, ob reverentiam Paschae. Ita Gavant, l. c. Ubi notandum est pro explicatione hujus paragraphi, intelligere Rubricam de Missa solemni, seu in dicitur, Majori; non autem de Missa privata, quia Missae privatae etiam praesente corpore dici nequeunt in Dominicis, neque duplicibus.

44 Loquitur insuper Textus de magna diei celebritate. Vel sit ista celebritas magna in universali Ecclesia, vel in illa tantum, in qua sepeliendum est Cadaver, semper est magna, ideoque sicuti excipitur dies Paschae et Pentecostes, seu Nativitatis Domini, quae solemnitates totam Ecclesiam respiciunt; ita excipiendus est dies Dedicationis vel Sancti titularis in Ecclesiis privatis, pro quibus non datur major solemnitas particularis; et hoc fit ne minuatur solemnitas festi (et nota, quod festa intelliguntur hoc loco de praecepto, aequalia Dominicis) super omnes, laetitia Paschalis minueretur, si in die Paschae hoc fieret; ergo abstinendum est, S. Ignat. *Ep. ad Magnes.*

Adde consequenter, et a fortiori, neque celebrari debere Missam Defunctorum, praesente corpore in diebus, in quibus neque de duplici potest, utpote Hebdomada major, non obstan-

te quod constitutio Apostolica allegata a Gavanto l. c. hortetur nos ad orandum pro iis, qui pereunt, quae verba apud SS. Patres importare solent Sacrificium.

45 Sacra tamen Rituum Cong. tolerari posse censuit Missas de *Requiem* in duplici festo, quod non sit de praecepto, ut Testatorum voluntates adimpleantur, 1 *Sept.* 1607 et *rursus* 20. *Junii* 1626. non autem ad arbitrium vivorum, sed pro adimplenda lege Defunctorum.

46 47 Cavendum ulterius est, quod ista Missa solemnis, quae, etiam in festis duplicibus pro Defunctis celebrari potest, praesente cadavere, non debet esse associata musicis instrumentis. Sanctissimus enim Benedictus XIII. in suo concilio Roman. t. 15. c. 6. prohibuit, ne in Missis Defunctorum Organa pulsentur, nec aliquid musicum instrumentum adhibeatur, sub poenis infligit. *in extrav. Docta, de Vita et honest. Cleric.* et in edicto Alexandri VII. Anni 1665. Quae Sanctio generalis est, et complectitur etiam funera Principum, et Magnatum, non minus quam S. R. E. Cardinalium, et Nobilium Virorum.

48 Missa conventualis semper in quocumque Ecclesia est dicenda, nec impedienda ab Officio Defuncti. Ista Missa ita dicitur, quia fit pro conventu Populi, ut Missa concordet cum Officio, quod semper fieri debet, c. *cum creatura, de celeb. Miss.* ubi verbum. *Mandamus*, obligat ad mortale, Gavant. d. p. 1. t. 4. et neque omitti potest pro Missa Defunctorum, *in d. c. cum creatura, etc.*

49 Itaque Divina Officia impediri non debent. Nomine Divinorum Officiorum venit hic non tantum Missa, sed et Horae Canonicae, Processiones, Conciones, et quaecumque aliae functiones, quae fieri debent de necessitate in tali die, quae officia anticipare, seu posticipare pro canenda Missa Defunctorum, praesente corpore, esset inconveniens, et contra Ritum: quod tamen in usu non est.

§. VI. Caveant omnino Parochi, alique Sacerdotes, ne sepulturae, vel exequiarum, seu anniversarii mortuorum officii causa, quidquam paciscantur, aut tamquam pretium exigant. Sed iis eleemosynis contenti sint, quae aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit: neque permittant, ut pallia, aut alia Altaris ornamenta ad ornatum Feretri, vel Tumbae adhibeantur.

50 Tria loca assignat Rubrica, in quibus Parochis, seu Sacerdotibus Officium celebrantibus dari solet eleemosyna: nempe sepultura, Exequie, et Anniversaria; potest enim dari sepultura sine Exequiis, et possunt dari Exequiae, sicuti Anniversaria, sine sepultura; in quibus omnibus aliquid juste contribui debeat illi Sacerdoti, qui tale Officium celebrat.

51 Sepultura, et Exequiae jam note sunt: Anniversaria vero sunt Officia illa, que celebrantur annuatim illa die, in qua quolibet anno cadit obitus, seu depositio mortui.

52 Dicit igitur Rubrica, quod Parochus, seu Sacerdos nihil pacisci debet super hoc, sed stare consuetudini, seu constitutioni Ordinarii. De facto Synodi Dioecese sane semper habent caput separatum circa Taxas pro sepeliendis Defunctis, quia sepius controversie non exigue oriri solent.

53 Superenuntiatus SS. Pontifex Benedictus XIII. in eodem Concilio Romano, Constitutionem edidit, que incipit, *Romanus Pontifex*; qua decernitur, et mandatur, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis, Parochis defunctorum Quarta funeralis persolvatur, et hoc ad eliminandas controversias, que oriri solent inter Parochos, et Regulares super hanc Quartam, de qua vide dictam constitutionem.

54 55 De cetero absurdum esset, si Parochus, vel quivis Sacerdos, priusquam exequias celebret, vel funus ducat, peteret pretium, et pacisceretur; et quando in Regularium Ecclesiis Defunctorum corpora essent tumulanda, si Parochus ea prius spoliaret cereis, et intortitiis, quibus stipantur; in poenam huius facinoris amitteret jus, quod habet, et Quartam funeralem, nec non teneretur in integrum restituere cum cadavere quidquid abstulisset. Ita *S. C. Ep. et Reg.* 20. *Martii* 1643. que jussit Parocho cuidam, ut restitueret ceram, quam abstulerat, cum quidam defunctus sepeliendus deferretur ad Ecclesiam Regularium.

56 Preterea in quacumque dioecesi Taxa competens statuta est pro exequiis, et funeribus, ultra quam Parochus neque Assensem exigere potest, neque mensuram, numerum, et pondus cere augere.

57 58 In Civitate, et Dioecesi Ferrariensi, post Synodum habitam ab Eminentiss. et Reverendiss. Card. Ruffo Episcopo, anno 1726. prodiit eodem mandante nova Taxa, et reformatio funerum, et expensarum in illis occurrentium, que prius pene intolerabiles erant: cui Taxe debent uniformari etiam Regulares, tunc quando in eorum Ecclesiis cadavera, (non vero fratrum, seu familiarium suorum) sepeliuntur, tam in numero, et pondere cere, quam in eleemosyna pro sono campanarum, aliisque occurrentibus. Sicuti enim uniformabantur antiquis Taxis per antecessores Episcopos statutis, et precipue illi de anno 1660. per Card. Dongium publicate, ita huic quoque pa-

rere debent. Et ratio est, quia Cadaver semper sub potestate, et jurisdictione Ordinarii est, etiam si humatum sit; *c. corpora Sanctorum de consecr. d. 2.* Sed Exequie fiunt circa cadaver, ergo Taxe ad illud spectantes factae ab Ordinario intrant etiam Claustra Regularium.

Sed ut istae Taxae funerales circa expensas in exequiis defunctorum plene valeant, et attendendae inviolabiliter sint a Parocho, necesse est, ut constitutae sint ab Ordinario loci, non vero a Parochianis. Quod si a laicis parochianis statutae sint, etiam cum consensu Parochi, omnino irritae, et invalide essent. *Cap. cum laicis de reb. Eccl. non alien. et l. quod si nolit. in fine ff. de aedil. aedil. cum pluribus D. D. apud Samuel. de Sepult. Tract. 1. concl. 13. n. 19. pag. 233.* Cum enim cadaver semper sit sub potestate, et jurisdictione Episcopi, de consequenti venit, quod etiam sub ejusdem potestate sit quidquid ad illius humationem spectat; et incontrarium statuere esset Ordinarii auctoritatem laedere; qui semper in constitutionibus synodalibus hanc Taxam inserit, seu quod simile, tamquam sui proprii juris. *Gavant Prax. Dic. synodi, p. 3. et in Manuel. episc. ad verb. exequiae, sub n. 31. ubi ex Concil. prov. 1. Taxa fiat ab Episcopo de singulis, quae in hoc genere accidunt.* Unde clarius apparet, hoc munus spectare tantum ad Episcopos. Immo nec posse Capitulum sibi arrogare hanc facultatem Taxas funerum ad suum libitum faciendi, decrevit S. C. Concilii relata a Matthaeuce. *Off. Eccl. c. 20. §. 10.*

59 60 Id totum, quod in Exequiis datur Parocho, haberi debet pro eleemosyna, non autem pro pretio. Quapropter non esse reprehendendos Parochos ait Pignatell. *T. 4. dec. 229. num. 20.* si juxta laudabilem consuetudinem, et Taxam instant pro funeribus, et Exequiis celebrandis, secundum qualitatem, et facultates Defunctorum, easque curant observari ad praescriptum Ritualis Romani, et *c. Apostolicam, de Simon.* ac exigi illas eleemosynas, quas Ordinarii locorum constituerint, nam quod suum est, petunt et jure suo utuntur vigore consuetudinis, quam in materia funerum, totum facere probant adducti per Gratian. *discept. 94. n. 78. et Sperell. decis 87. num. 14.*

61 62 Ad id postea, quod dicit Rituale, non debere permitti, ut Pallia, aut alia Altaris ornamenta, ad ornatum Fereetri, vel Tumbae adhibeantur, nescio quo pacto Rectores Ecclesiarum huic legi sint inobsequentes. In Tumulis consuetis, et quotidianis sine cadavere, ut plurimum quaeque Ecclesia parata habet singula, et omnia necessaria, nempe Candelabra ferrea, vel lignea nigro colore picta, cenotaphium item simile, et alia ad funus faciendum, parandumque in medio Ecclesiae: sed in funeribus magnificis Virorum Principum, et nobilium, necnon Ecclesiasticarum Personarum, pro quibus Pegmata, et lugubres Machinae extolli solent, super quas cadavera collo-